

DE 17. 1784 1
COGNOSCENDIS ET SANANDIS
SCROFVLIS

CONSENSV
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
LEGITIME OBTINENDO

PRAESIDE
D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO

FACVLTATIS MEDICAЕ SENIORE ETC.
DIE II. AVGVSTI CIOCI CCLXXXIV.


H. L. Q. S.

PVBlice DISPVTABIT

AVCTOR RESPONSVRS

JOANNES AVGVSTVS POSSE
SONDERSHVSENVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS FRIDER. AVG. GRVNERT.



VIRIS

DOCTRINA, FAMA ET VIRTUTVM SPLENDORE
CONSPICVIS,

ILLVSTRI,
GENEROSSISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

CAROLO AVGVSTO DE MADAI,

DOCTORI MEDICINAE EXPERIENTISSIMO,
SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO - COTHENIENSIS
CONSILIARIO AVLICO,
DIRECTORI MEDICAMENTORVM ORPHANOTROPHEI HALENSIS
FIDISSIMO,

ITEMQVE

EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO

IOAN. FRIDERICO GERHARDO
K O C H ,

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO
LONGE CELEBERRIMO,

PATRONIS ATQVE FAVTORIBVS,

IN AETERNUM DEVENERANDIS,

SPECIMEN HOCCE IN AVGVRALE

INTER ARDENTISSIMA VOTA

PRO

PERENNI SALVTE ET INCOLVMITATE

TANTORVM VIRORVM

CONSECRAT,

SEQVE VLTERIORI EORVM BENEVOLENTIAE

COMMENDAT

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS,
IOANNES AVGUSTVS POSSE.



DE
COGNOSCENDIS ET SANANDIS
SCROFVLIS.

§. I.

Antiquioribus, prout Medicorum scripta loquuntur,
id mali genus iam dudum cognitum fuit, quod
scrofulas, graeca voce *χοιλαδες*, a suis, utpote quibus
similes colli tumores eueniunt, translata denominatione,
appellare solent^{a)}. Recentiorum plurimi morbum penitus
iam perspexerunt; sed cum varios inter illos obseruauerim
dissen-

a) Varium explicationem etymo- GINETTA Libr. VI. cap. XXXV.
logicam tradunt AETIUS de re pag. 219.
medica Tom. III. L. IV. c. V. AE-

A



dissensus, cumque affectus hic in infantili, puerili et iuuenili aetate frequentius occurrat, atque neglectus, vel corruptus grauia et periculosa post se trahat mala: operae omnino pretium esse duxi, morbum hunc paulo accuratius pro virium tenuitate scrutari; praesertim cum varias eiusdem collegerim obseruationes.

§. II.

Scrofulae inter phymata ^{b)} referuntur, per quae cum CALLISENIO ^{c)}, intelligo partium glandularium tumores frigidos, plus minus duros, a fluidis, intra vasa minima morbose collectis, compactis, concretis, oriundos. Horum principes sunt scrofula, struma, scirrus et carcinoma. In specie vero audit scrofula tumor latus, indolens, cuti concolor, variarum glandularum, et potissimum congregatarum colli et mesenterii, a lymphae chylique visciditate et tenacitate prognatus; quibus phaenomenis ab aliis, quas mentiri videatur, intumescentia internarum et externarum partium glandularium, ipsisque analogarum, vii et ab obstructionis evidente et communi causa, vel a stimulo et miasmate, vel ab impuritatibus nocivis retrocessis aut retrouplatis ortis, distingui

b) Phymata vi vocis dicuntur a cebantur. Vid. HIPPOCRATES quā cresco; sed vagus est eorum significatus; cum intumescentiae solitariae vel frigidae, vel calidae, ad illa reducantur. Graecis minutū infistula vesicae urinariae abscessus ita di-

ceantur. VID. C. S. C. IV. apor. 82. et CELSUS de re medica. Lib. 2. c. 8. p. m. 76.

c) Institutionibus chirurgicis §. CCCXVIII, pag. 133.

gui poterit. Etenim scirrus, praeter descriptionem, a CALLISENIO^{d)} suppeditatam, non glandulas tantum diversas, sed interdum alias C. H. partes occupat, durioremque magis et inaequalem^{e)} sifit tumorem. Struma, enatam guttulis intumescentiam, indolentem, figura, magnitudine, contentis variam refert, quae non in glandula thyroidea solum, sed aliis minoribus quoque guttulis glandulis sedem fixam habet. Sub axillis et in inguinibus ex quacunque caussa orti tumores glandulosi, *bubonum* et *abscessum*, tam axillarium, quam inguinalium nomine noti sunt^{f)}. Iure itaque ab eorum mente recedendum esse arbitror, qui omnes, in hisce locis adparentes tumores, ad scrofularum numerum referunt.

§. III.

Scrofulosi tumores lente incedunt, et minores a primis initii sensim sensimque succrescunt, adeo quidem, ut fomes et sedes mali, antequam in sensus incurant, diu iam in corpore latitasse videatur. Ipsimē indolentes, duriusculi, fere globulares (§. II.), diuersae magnitudinis adparent, plurimique, vel minorem fabam initio adaequantes, temporis successu ad nucis auellanae, moschatae, aut inglandis magnitudinem volumine augmentur, imo interdum eandem superrant.

A 2

rant.

d) *I. c. pag. 137.*

e) CALLISENIUS loco ante citato.

f) *Idem I. c. p. 412. 413. vō GELIUS de cognoscendis et curandis morbis p. 593.*

rant. Sunt qui scrofulis, pro ratione phasium lunae incrementum decrementumque tribuunt; id quod de strumis potius intelligendum esse, videtur. Si quae in his tempore indicato detur et notetur mutatio, adfluxui, quacunque ex causa orto, magis adscribenda, quemadmodum nuper ab *III. Praefide* in iuuene, octodecim annorum, asthmate spastico cum struma grauiter laborante, visum atque simul obseruatum fuit, magnum tumorem gutturis matutino tempore parum decreuisse, et vespertino rursus incrementum cepisse. Sicuti vero scrofulas a strumis distinguendas esse iudico (§. II.), et si non negem, in strumas vel abire, vel cum ipsis, aut dispersis aut in aceruos collectis, iunctas esse posse ^{g)}: ita in ipsis periodicum quasi, a lunae phasibus pendens incrementum et decrementum, nondum animaduerte, quam potius, si qualiscunque contigit eiusmodi mutatio, a virtio rerum non naturalium maloque regimine inducitam fuisse, adnotare mihi licuit. Perraro autem vna tantum glandula, sed plures simul, mole increscentes, in collo aequa ac in mesenterio tument; hinc sit, ut sibi interdum incumbentes et accubantes, inaequalitatem forment et immobilitatem retineant ^{h)}. Distinctae et dispersae mobiles sunt. Color earum a naturali cutis non recedit, nisi accedente, quae cuti

^{g)} *VOGELIUS* l. c. §. 715. ^{h)} *TULPIVS Observ.* lib. 1. c. 46.
 p. 626. Idem adfirmat *Vogelius*. l. c. §.
 75. pag. 626.

■ ■ ■

cuti inducit ruborem, inflammatione. Durities pro ratione obstructionis et infarctus modo maior, modo minor est. In malo inveterato, aliis generis glandulae in consensum trahi similique labe adfici possunt, ita, ut ex conglomeratis sublinguales, maxillares, parotidicae simul intumescant, nec non anomalae istae tonsillares, conglutinatae dictae ⁱ⁾, adficiantur, quin et vultus et musculi ^{k)} mutentur. In nonnullis scrofulis materia reperitur calcarea; in aliis aqua quasi cum calce remixta; nonnunquam dura, asperam reddens glandularum superficiem; in quibusdam pultacea, imo interdum substantia cartilaginea ^{l)}. Quapropter, si omnia signa colligamus, quae externe adparent, et interne latent, certi de morbi praesentia reddenmur. Nam suspicionem *imminentis* feminii et dispositionis iam mouent cutis tenerior, facies ex mente *CALLISENII* ^{m)} florida, pallida et cachectica interdum. In quibusdam vexat ophthalmia pertinax serosa, quae in specie audit *scrofulosa*; in multis labium superius tumescit. *Praesentes* confirmant scrofulas, praeter indicata circa collum, abdomen interdum nodosum tumidumque adparens, labii superioris insolita crassities, genarum intumescencia, ad aures interdum sese extendens. In ulteriore morbi progressu, aurium fluxiones contingunt, vi-

A 3
cuscu-

i) *Perill. HALLERUS, prim. li-*
meis physiolog. §. CLXXXIX.

k) *VOGELIUS l. e. p. 626.*

l) *Ill. de HAEN, rat. med. p. II.*
cap. XI. pag. 179.

m) *l. e. §. CCCXX. p. 134.*



cuscula in labiis cum narium rubore oriuntur, e quibus materiam mucosam inque illa latenter acrem, partes arroden-tem profluxisse, saepius a me notatum fuit ⁿ⁾. Tandem inver-teratae degenerant in *ulcera*, pessimae indolis, eruenda ex signis generalioribus, *saepissime sordida, lardacea, lympham tenuem, acrem copiosam fundentia, marginibus tumidis, duris pallidisque distincta, digitos manus pedisue non raro inuadentia, neque ossibus parcentia, in naturam carcinomatose proniora* ^{o)}.

§. IV.

Sicuti ex signis *jet* obseruatis constat, haud inuoluit contradictionem, *congenitum malum, immo hereditarium esse*, et, praecclare monente **CALLISENIO** ^{p)} diu in cor-pore delitescere posse. Versamur; quod lubens fateor, in re occulta, cuius initium, in corpore latens modumque sien-dij ignoramus. *Endemium* quasi, in Germania, Thuri-n-gia,

n) Respectu virium animi: **SAU-VAGIUS** *Noſologia Tom. III. part. II. pag. 408.* in scrofulosis maiorem et prae-maturam intellectus vim adesse affirmavit; ast maiorem etiam stupiditatem atque meticuloſitatem obſervavi, quamdui hoc morbo la-borarunt, et donec achorum ac favorum in capite facta fuit eruptio, harumque ſimul impuritatum per-fecta sanatio. Praesertim unicam

novi puellam scrofulosam, admo-dum vivacem et ingeniosam. In multis aliquam mentis imbecillita-tem ingeniique tarditatem animad-vertere, mihi licuit. Sed non per-petuum est.

o) **CALLSENIUS** §. DCLXXII. p. 418.

p) **L. e. p. 134.** iudicat, *malum plerumque congenitum esse, neque raro hereditarium.*

7

gia, Hungaria, Westphalia, Heluetia, Hispania, Anglia, Italia, aliisque in regionibus insignitur nomine *tumorum glandulosorum, scirrho molliorum.* In pueris *Perill.* HALLERUS ⁹⁾ testatur, Gottingae adeo frequens apparuisse, ut vix sibi temperare potuerit, quin solani tuberosi nimium cum inerti vita usum accusauerit; sicuti nostris in terris frequens malum ab assumptis nimia in quantitate pultaceis, multis leguminosis, caseosis, crudo vietu ventribus, vitamque otiosam simul degentibus, adeoque a diaetae potissimum vitio, praesertim in dispositis, tam pueris, quam puellis, prouenire obseruamus, et ego quoque ex variis observatis didici. Neque repugnat a veneno venereo scirrhos variae indolis induci, similiterque et atrophicos, et rachiticos, et scorbuticos, et hypochondriacos, etc. iisdem esse obnoxios; cum hisce in morbis lympha potissimum vitietur.

§. V.

Itaque *signa diagnostica* confirmant, sedem mali in *glandulis* potissimum *conglobatis*, *lymphaque spissiori*, ipsis inherente, quaerendam esse, et in genere obseruarunt soleritissimi naturae scrutatores, in *glandulis* *conglobatis* vulgarissimam esse scirrhorum sedem, longeque frequentiorem, quam in *conglomeratis*, et cum hac posteriori tribu totum sane

lym-

q) *ELEM. PHYSIOL.* Tom. 1. Scit. III. L. II. p. 192 — 193.

~~~~~

lymphaticum glandularum genus scirrhis obfessum esse.  
 Etenim dictum fuit (§. III), in malo, si praecipue invaluerit, glandulas mesenterii duras moleque auctas reperiri. In mesentericis, ait Perill. HALLERUS <sup>r)</sup>: glandulae pleraque aliae intumescere solent, lumbales, iliacae, inguinales, etiam meo experientia, et ipse demum thymus, qui de bac tribu est. Neque uti vera, ita nupera obseruatio est, in iis corporibus, in quibus glandulae colli intumescunt, etiam mesentericas et bronchiales glandulas pariter obstrutas reperiri, manifesto argumento, communem in toto systemate congregatarum adenum stagnationem dominare. Ita, pergit, Cl. viri obseruavunt, in collo vix strumas erumpere, nisi in mesenterio numerosae adfuerint. In scrofulosis mesenterium scirribis plenum est. Factum inde, ut qui rationalem medicinam professi sunt, huic aetiologyae scrofularum curationem superstruxerint et summam in sanando difficultatem repererint. Repetenda igitur paucis glandularum congregatarum struitura, quo eo facilius materiam, tumbris hisce excitandis aptam, eruere queamus. Experimenta a summis anatomis, Perill. HALLERO et Celber: beatae memoriae, MECKELIO instituta docent, glandulam congregatam considerandam esse veluti plexum vasorum potissimum lymphaticorum, et chylosorum, venosorum et geniculatorum, diversi generis, facile sub iniectione mercuriali, quae has glandulas argen-

<sup>r)</sup> loco, ante citato.

argenteas reddit, demonstrandorum. Quae dum vel vnico, vel pluribus ramulis glandulam adeunt, in ramos dividuntur, et in minores ramulos subdivisa, minores plexus formant. Hisce aduenientibus, alia continuantur vascula, quae euenientia, ab officio dicuntur, et ex inuenientium ultimis radicibus nascuntur, certo indicio, vasa lymphatica in glandulis non nasci. Haec ipsa in maiores excurrunt ramos ibidemque coenunt, et hac ratione, modo plura, modo vnicum vas lymphaticum maius egreditur, et ad aliam vicinamque tendit glandulam; donec tandem lympha venosa ad ductum thoracicum confluat. Cunctos ramulos tenuissimos, per glandulas disseminatos, colligit necesseque tela cellulosa molles, cum vasis sanguineis, quae telae superadduntur, intertexta. In cellularum areolis continetur succus<sup>s)</sup>, quem ar-

## teriae

s) Succus proprius inest glandulis et in iuniori aetate maxime conspicuus. Album perpetuo reperit Ferill. HALLERUS, elem. physiolog. T. I. L. II. Sect. III. c. XX. p. 184; interim asserit simul, non repugnare, aliud simul ab abundante lympha, sive humore ex flavo rubello, ad lignem et ab alchohole coagulabile, aliud colorem misceri posse. In morbis, inquit, saepe gypsius est etc. Alio in loco monstravit, chylosum succum, quo haec glan-

dulae replentur, et nigrum illum, quo turgent in pectori senili, confirmare, fecerni aliquid de sanguine in his glandulis et ad fundi lymphae chyloue, in cellulosa forte spatia expulsis. Magnitudo et integritas in iunioribus, corruptio et destruacio in adultis senibusque suadent secretionem, in iuniori animali integrerimam, in senio perire. Vid. Primis lineis physiolog. §. CLXXXVII. pag. 109.

## B

teriae exhalant, reuelentes ductus resorbent, et cum lympha remixtum aehunt. De his glandulis, assérit Perill. HALLERUS: *videri aliquid tribuere lymphae chyloque, non satis perspectum*<sup>t).</sup>

### §. VI.

Ex quibus pater, haud difficilem esse scrofularum gressus finit. Etenim lympha, per tot anfractuosa mirumque implicita vasa permeans, in itinere suo retardatur, eiusque celeritas in illis minuitur. Facta nunc quacunque ex caussa, lympha densiore, viscidore et spissiore: motus in glandulis eiusmodi vasculis ita imminuitur successiue, ut plane demum subsistat, inque iis, stagnante lympha tenaci, vascula turgeant, corporaque eiusmodi in tumores, plus minus duros, eleuentur, atque successu temporis cum tela cellulari plane mutentur. Ipsa lymphae natura facilem eiusdem his in locis subeundam mutationem indicat. Lympha enim, quae in peculiari vasorum genere mouetur, perinde, ac serum de gelatinosa natura est, instar seri cogitur, sponte interdum gelu et cum acore minerali vinoque meraciore coagulatur, et cum sero falsum communem habet saporem aque ac reliquas dotes. In scrofulis venereoque malo infectis corporibus lympha adeo spissa est, ut sanguinis de amputato membro

t) *Primitis lineis physiol.* §. CLXXXIII, pag. 107.

*membro fluxum sifseret. In iisdem venereo malo tactis, et veneae materia alba pituitosa plenae reperiuntur etc.* <sup>v)</sup>.

§. VII.

Quamvis quidem humor definitus, qui in glandulis continetur, diversus (§. VI), per se et in statu naturali sat blandus possit dici: in illo tamen statu aberrante *acredinem contrahere eandemque cum lympha spissa* continere valet. Fieri hoc posse mora; more stagnantium humorum, lactei, sanguinei et lymphatici, ad glandulas delatorum, sed diuersae pro eorum natura ac vitiosi organi secernentis habitu, sat probabile videtur. Neque omnino obscurum, *acre resorptum rursus in massam sanguineam deferri*, et certis in locis C. H. deponi posse. Quid mirum itaque, si peculiaris acrimonia, in capite scrofulosorum, adeoque extra sphaeram glandularum congregatarum deposita <sup>x)</sup>, suam exerceat stra-

B 2

gem

u) *Perill. de HALLER elem. physiolog. C. II. T. II. L. V. Scđ. III. §. III. pag. 130.*

x) Sequens casus meam confirmat sententiam. Puer, novem annorum, cui quarto aetatis anno glandulae colli iam tumebant, trium annorum decursu nullas percepit praecipuas molestias; interea ab hec tempore incidit in cachexiam, eai aches, favi et tinea iungebantur. Quamvis vero convenien-

tia mundificantia et resolventia, vi- delicit praeparata ex mercurio dulci et sulphure antimonii aurato, iunctis insuper roborantibus, exhibentur: nihilo tamen minus malum per duos annos perdurauit per tinaciter, donec tandem tinea impuritatibusque capititis penitus deletis, tumores glandularum colli, ex parte imminuti, chronico resoluentium et tonicorum internorum et extenorum usu penitus dispe-

rue-

■ ■ ■

gem summatimque satandi difficultatem efficiat. Praeter adductas rationes, *accidentaliter* tamen aliae adhuc interdum accedunt causae; videlicet si infantes male nutriantur, et inmundities externa vel penitus negligatur, vel haud rite observetur, etc., quae per se omnino ingenerandae acrimoniae fauent.

### §. VIII.

De *cassis* vero, lympham cogentibus et spissitudinem inducentibus, auctores inter se dissentunt. Nonnulli ad *acrimoniam specificam* prouocant; alii *miasma venereum degeneratum* accusant. Sed quo magis nos sollicitos esse oportet, minus fauentes hypothesisibus, ita *in genere* profitemur, nos ad intima naturae non penetrare posse, cum in C. H. fabrica plurima adhuc lateant, quae aeternum nos sint fugitura. In specie vero *acrimoniam specificam* quod attinet: illa vix admitti poterit. *Specifica enim materia* nobis audit, quae vi determinata, adeoque propria et insita qualitate, peculiarem sibi proprium, a reliquis distinctum, producere valet effectum. Eiusmodi dicitur variolosa, rachitica, venerea, cancerosa, scorbutica, venenosa etc.; hinc quoque medicamenta, quorum pariter empiricam tantum habemus cognitionem, illa audiunt, quae vi quadam propria

ruerint. Colligimus inde non tore latescentem, fuisse effectum sine ratione, *acrimoniam*, in len- materiae scrofulosae.

pria, determinata et insita nobisque ignota, in eam caussam,  
 quae morbum prodeit, agunt eandemque tollunt; de qui-  
 bus omnibus vero plus subinde iactari solet, quam quidem  
 sana ratio et genuinus candor concedunt; cum differentiam  
 essentialiem in specificis sic dictis materiis, modumque agen-  
 di remediorum in illas plane ignoremus. Quodsi materia  
 acrimoniae specificae scrofulosae existeret: eiusmodi paren-  
 tes prolem semper scrofulosam procreare deberent, quod  
 vero experientiae contrarium. Quidquid igitur de illa sta-  
 tuendum, id respicit maxime *dispositionem*, a parentibus ad  
*infantes translatam* (§. IV.), quae corpus aptum reddit, data  
 occasione morbum succipiendi, per se vero morbum pro-  
 ducere nequit, nisi caussae occasionales, et potentiae nocen-  
 tes accedant, vt pote quae praedisponenti superuenientes,  
 hanc excitant, ut una morbum pariant y). Sic fieri potest,  
 vt si solae humorum coctiones peruerantur exinde quoque  
 humores lymphatici lenti, viscidii, glutinosi scrofulosique  
 reddantur, (per experientiam). *Acrimonia*, quacunque  
 ex causa inducta, in scrofulosis apparens, et infantibus ac  
 iuvenili aetati praesertim familiaris, generalem effectum,  
 et pro ratione sedis et decubitus speciales morbos producere,  
 immo diuersum morborum schema ludere potest. Quodsi  
 vero B. L. eam acrimoniam dicere velis scrofulosam, quae

B 3

obstru-

y) GAVIUS *Institutionibus Parabolologiae medicinalis*, pag. 25. seqq.



obstructioni glandularum lymphaticarum accidentaliter su-  
peruenit (§. VII.); neque essentiam rei attingere, nec ge-  
nuinam exhaustire mihi videris cauissam. Et enim non abso-  
lute requiritur, sed in scrofulosis et abesse, et adesse potest;  
quid quod absque illa, glandulae congregatae, more scrofu-  
larum, humore solo viscido et glutinoso lymphali infarciri  
possunt. Sicuti igitur *specificam* negamus *acrimoniam scro-  
fulosam*, ita pariter *signa characteristica* latitantis in corpore  
miasmatis, a quibusdam assumti, absque scrofulis reiicimus;  
cum phaenomena, ad quae prouocant, qui symptomata  
collegerunt, vel qualemcunque acrimoniam in genere, vel  
conditionem corpori inhaerentem ad summum indicent, a  
qua omnino illa, quae in *ulceribus scrofulosis* reperitur (§.  
III.), plane distinguenda.

#### §. IX.

Neque sententia illorum, qui *miasma venereum degene-  
ratum* inculpant, magna gaudet probabilitate; quum scro-  
fulae longe aliam medendi rationem exposcant, quam mor-  
bi syphilitici. Si forsan cuidam afferere placeat, miasma ve-  
nereum, in scrofulosum mutatum, naturam suam plane de-  
posuisse, probandi ratio summa premeretur difficultate.  
Chemia ne unquam quidem docuit, acida mineralia ita mu-  
tari posse, ut et Salis, et Nitri in acidum Vitriolicum muta-  
rentur. — Tantum quidem constat, acidis alias species im-  
primi posse, eademque ita mutari, ut non amplius, more  
aci-

acidorum in alia corpora agant. Sic ab acido, cum alcalino saturato, producitur sal mediae naturae, quod quidem in se spectatum definit esse sal acidum. Interim acidum in eo contentum, sua natura mutatum non est semperque manet idem. Acida itaque eiusmodi aliis in corporibus inuolui et abscondi possunt. Natura igitur eiusmodi mutationes non admittente; haud perspicio, cur contrarium statuamus. Accedit, quod plurimi infantes scrofulis corripiantur, quorum tamen parentes morbo venereo nunquam laborarunt. Demum vero longe ante cognitam luem venereum scrofulae iam innotuerunt (§. I.), certo sane indicio, rationem in hoc miasmate quaeri non posse. Quodsi igitur scrofulae in infantibus, a venereis parentibus natis, forsan occurrant: ratio non ex miasmate specifico, sed remotius ex generalioribus caussis, lymphatici systematis corruptione, lymphae abundantia, vappescientia et spissitudine eruenda ac repetenda.

#### §. X.

Quibus praemissis, cauſam mali, ab interno statu provenientis, cum CALLISENIO<sup>2)</sup> vel in glandulis, vel verosimili ratione in totius *systēmati lymphatici labe* quaerendam esse iudico, qualemque etiam admittatur seminum (§. III. IV.), sive lympham spissorem, ad formationem

scro-

<sup>2)</sup> I. c. §. CCCXX. p. 133.

scrofularum proxime, absque assumto quodam misérante spe-  
cifico, concurrere. Lympha lentorem suum a variis caussis  
*remotius* acquirere et retinere potest. Sic saepius sit, ut ob  
imminutam vim fluidorum, digestioni inservientium, vel  
laesam solidorum, quibus digestionis, chylificationis et  
sanguificationis negotium perficitur, actionem, sanguis  
aliisque ab illo, vel a chymo chyloque separati humores,  
crudi minusque rite permisisti sint, sed particulis terrestribus  
abundantes, viscidiores fiant. Sic etiam a bilis inertia neque chy-  
lus bonae notae elaboratur, neque sanguini admistus ob-  
tius corporis debilitatem rite subigitur <sup>a)</sup> atque in naturam  
convertitur animalem <sup>b)</sup>, i. e. corpori nostro assimilatur.  
Necesse igitur est, ut enata inde lympha particulis crudis,  
alimentorum naturam, nondum subactam retinentibus, sen-  
sim inquietetur, depravetur et qualitate sua mutetur. Hinc  
oriri potest vappescientia et acrimonia acida, a depravata co-  
ctione suborta, et qua talis, scrofulis ingenerandis favens.  
Copioso enim acidorum visu <sup>c)</sup>, aut ad massam humorum  
delato, aut factis modo partium terrearum, modo oleosar-  
um, a reliquis fluidorum partibus secessionibus acrimonia,  
eius-

a) MORTON Phisiologia Oper. med. Tom. I, Lib. III. Cap. I, pag. 110, III.

c) Acidum accusantes, ex eo quoque colligunt rationes, quod scilicet alimenta ex vegetabilibus ad acidum prona sint; fatentur tamen aliis ex caussis eandem oriri posse.

b) Perill. HALLERUS primis lineis physiolog. P. 97.

eiusmodi nascitur<sup>d)</sup>. Ob quam autem rationem ab illa glandulae conglobatae potissimum adfluantur, ex circulo humorum in illis tardiori, faciliori particularum terrestrium abundantium depositione humorumque mora ac stagnatione repetendum (§. V.), facileque intelligendum, cur vulgarissimam scirrhorum sedem constituant e).

### §. XI.

Ad formationem causae proximae *remotiores omnino concurrunt*. Praeter indicata (§. VIII. IX.), infantes, partim ob fibrarum laxitatem, partim vero lymphae abundantiam<sup>e)</sup>, ad hunc morbum dispositi magis sunt, solentque in mesenterio, nec non, ob maiorem humorum ad caput impetum, frequentissime in collo, praesertim inter dentitionis et pubertatis tempora, scrofulae oriri. Uterque sexus, et ex sententia nonnullorum, sequior magis potiori, huic adfe-

d) NIETZKI element. parbol. universae §. CLXXXII. pag. 82.  
e) Perill. HALLERUS element. cit. L. II. §. XXII. p. 192.  
f) De naturali lymphae ad coagulum proclivitate (§. 6.) satis constat; et abundantiam eius in infantibus et iuuenili aetate quilibet admittet, qui ad incrementum corporis in iuniori, et ad decrementum in senili aetate attentus fuit. Acce-

dentibus igitur cauiss, lympham in genere incrassantibus, lympha vi- tiata restagnabit in organis suis, in specie vero in mesenterio et collo; priori in casu sicut inferius glandularum: mesenterii sive scrofulae eius, et in posteriori sub determi natione versus partes superiores, scrofulae colli, concurrente utroque in casu vi solidorum propellendis fluidis imminuta.

C

■ ■ ■

adfectui expositus esse fertur, atque simul in sequiori maior fibrarum mollitiei humorumque copiae tribuitur, id quod vltiori obseruationi adhuc committendum. Neque ex sexus diversitate, sed ex vitio solidorum, aequo ac fluidorum vtriusque sexus ratio petenda. Tenerior corporum constitutio et praesertim debilitas morbos, concurrente saepius acrimonia, probe consideranda. Neque omittenda propagatio, a parentibus cacoehymicis, cachecticis, scrofulosis, podagrificis, arthriticis variisque inquinamentis specificis, laborantibus, ad miseros infantes facta, (per experientiam); quum illos, ob similem forte corporis habitum, leuioribus ex caussis in similes morbos et scrofulosum imprimis statum, incidisse et difficulter sanatos fuisse, constet.

### §. XII.

Caussas inter *occasionales* pertinent potissimum cibi crudiores, facile acescentes, copiosius assumti (§. X.), nec non pultacea omnia, ex farinaceis laeteque praeparata, pastilli farinacci, dulcia, mucilaginosa, cum et sacharata acidum saporem, demta mucilagine, qua acidum inuolutum est, ori imprimant; placentae pigues, panis siccus <sup>g)</sup>, copiose assum-

g) Notus mihi est infans, qui a primis fere incunabulis solo pane nutritus, reddebat atrophicus et in extremitatibus emaciatus, et circa glandulas autem colli et mesenterii scrofulosus. Adhibitis resolventi- bus, diluentibus, evacuantibus tonicisque, perfecte sanatus fuit; sed morbus longus, chronicam curationem cum congrua diaeta requivit.

assumptus, leguminosa et alia (§pho IV.) indicata, a quibus infantes in atrophiam incidunt. Neque silentio praetermittenda, quae viscidum reddunt chylum, quorsum referenda caseosa (§. IV.), oua, coctione indurata, caro suilla fumoque indurata et id genus alia, a quibus si nutriantur pauperes et rustici, haud facile a scrofulis immunes manent.

### §. XIII.

Varia quoque *potur genera* attendenda. Nocent vina austeria et iuniora, particulis terrestribus multis adhuc scatentia, nec non meraciora (§. VI.). Spirituosis omnibus nemo vim coagulandi denegabit. Decocta mucilaginosa continuato vsu damnum inferre possunt, quemadmodum veritatem didici in infante, ab iis solum nutritio, et scrofulis demum mortuo. Facile enim mucilaginosa fermentationem subeunt et aceſcent, et admixtae particulae terrestres crassiores, demum separatae, lymphae vappescentiam inducunt. Neque obstat, quin a foliis mucilaginosis, spissioris consistentiae, nimia in quantitate exhibitis, lympha incrassetur, praepri mis si infantes tenerioris constitutionis sint. Pariter quoque aquae impurae, stagnantes, nec non et praecipue cereuiae aut meraciores, aut secundariae, facile aceſcentes, minus defoecatae, et, quod praecipuum est, in poculis stan neis diu tepide usui seruatae, valde nocivae euadunt, et tanquam lenta venena necant.

### C 2

### §. XIV



## §. XIV.

Nec ex his excludendus *aer*, quoad indolem et effectum medice consideratus. *Aer* frigidus effectum exerit condensationis humorum et habitum externum constringendo eosdem ad interiora propellit, qui demum accumulati facile restagnant. Humidus et nebulosus, solidorum vim imminuit, habitum corporis relaxat, et absorbendae transpirabili materiae obstat. Languente igitur vi vitali retentisque particulis excrementitiis, omnes humores secreti, et depravantur, et varii generis obstruktiones inde producuntur.

## §. XV.

Pertinent quoque ad *genesin scrofularum euacuationum tam naturalium*, quam *praeternalia imminutiones ac suppressiones*. Nam praeter copiam, quae inde necessario augetur, sanguis et lympha corruptuntur. Et, sicuti scrofulae in aetatis consistentis hominibus utriusque sexus tam haemorrhoidariis, quam menstruatis, hypochondriacis ac hysterics interdum oriuntur: ita pariter in subiectis, suppresso, aut cessante fluxu menstruo laborantibus, nec non a cohibita lactatione incunabula traxisse, obseruatae sunt. Suppressis enim hisce sinceris excretionibus, congestiones ad varia interiora loca, stagnationes, stases et obstruktiones nascuntur. Similiter et *immundities externa*, frequentissima scrofularum causa accusanda, qua sit, ut imminuta transpiratione, excrementiti in corpore retineantur humores.

Nec

Nec non impuri cutanei morbi, vel sponte retrocessi, vel retrorsum, et latentes in corpore materiae scrofulas producere valent (per anteced.). Saepenumero enim superatis iam variolis ac morbillis superueniunt, immo a tinea suppressione (§. VIII.) et suppressis pedum sudoribus originem ducent. Denique quidquid et solidorum robur, et fluidorum imminuit motum ac circulum, id omne inter causas referatur (§. antec.); quo pertinent moeror, somnus nimius, vita sedentaria, lucubrationes nocturnae, loca humida etc. Ceterum de scrofularum per contagium propagatione merito dubitatur.

### §. XVI.

Perpensis nunc causis scrofularum; facile patet, morbum hunc admodum molestum esse, immo periculatum interdum fieri. Rarius absque sanitatis incommodo fertur, neque tumores, a congestione pituitosa facti, per se in inflammationem et suppurationem abeunt. Aliquando et propriis naturae viribus superantur et absque sensibili euacuatione sponte disparent, vel vlcerosa, pone aures exsudante et manante humiditate, aut ichoris ex aure effluxu, vel impunitatibus in capite enatis, vel superueniente narium haemorrhagia, aut catarrho, alioque profluuo <sup>b)</sup> soluuntur. Manet nonnunquam etiam immutatus ad uirilem usque aetatem

C 3

status,

<sup>b)</sup> VOGELIUS L.c. pag. 626, 627.

22

status; postea, disparentibus successive colli tumoribus, homines quasi robustiores fieri, et frequentius ab aliis, cum scrofulis connexis morbis, immunes manere, dicuntur; sed per paucis, si obseruatio haecce adcurate instituta fuerit, tam prospere res succedit, quin potius, si scrofulae eo usque perdurauerint, interdum tristi finiri solent euentu, cuius rei luculentum mihi adhuc ante oculos versatur exemplum, cum ductu *Viri Excellentissimi, Doctissimi atque Experientissimi Dom. D. KOCHII*, fautoris mei omni pietatis cultu deuenirandi, suscepserim in ueteratarum scrofularum in iuuene curationem<sup>i)</sup>. Quodsi itaque morbus, diutius iam protractus,

<sup>i)</sup> Iunenis, viginti circiter annorum, robustus, faciem gerens floridam, glandulis conglobatis circa collum turgidis durisque, conglomeratis hand exceptis, imno ad lapideam naturam fere accedentibus laborabat. Aderat simul pertinax ophthalmia scrofulosa, cum tanta coniuncta oculorum sensibilitate, ut nullos lumen radios ferre potuerit. Oculorum malum, praemissis generalioribus, correxit in sine axungia Viperarum recens et genuina. Ob statum scrofulosum elegi optima resolutientia. Tantum vero absuit, ut malum inde imminauit potuerit, ut potius scrofulae, iam iam induratae, in ye-  
ros abierint scirrhos irresolubiles. — Alterum exemplum funestum mali confirmat eventum. Puerilla quaedam ob collum, tumoribus copiosis scrofulosis per triennium obsessum, faciem cum collo fere monstram gerebat. Tumores ad naturam scirrhosam accedebant. Quaedam ex his valdopere dolere incipiebant; aliae in cervice suppabant. Praeterea lippitudine laborabat; venter erat tumidus; glandula thyroidea autem a tumore adhuc immunis. Pulsus, sicuti in lentis febribus obseruabatur, celer et debilis. Accessit tandem sub corporis extenuatione diarrhoea colliquativa, miserae vi-  
tae

ctus, benignè non soluatur, et inclusa forsè materia, vel spontanea corruptione, vel alia qualicunque causa acrior reddatur: saepius inflammatio<sup>k)</sup> accedit, ex phaenomenis Celsianis facile cognoscenda in collo; difficillime autem in mesenterio scrofuloso, et probabiliter, ex antecedentibus ac praesenti statu abdominis dolorifico, eoque fixo, tumore interdum et insolito caloris praeternaturalis sensu, iunctis reliquis febris inflammatoriae signis, eruenda. Et sic topi-  
cam inflammationem ex signis inflammationis generalibus simul nobis concipimus. Ast et scrofulae saepe in vlcera sordida, neque ossibus parcentia, abeunt (§. III.). Interdum in seirrhos irresolubiles mutantur, et praeter acquisitam maiorem et lapideam quasi naturam immobiles fiunt. Accedit  
demum

tae finem imponens. In ultimo morbi tramite evacuationes frequentes alvineae foetidissimae striis sanguinis remixtas erant.

k) In infante sex annorum vidi scrofulam in cervice suppuratam absque inflammatione prægreffa. Nulla aderant signa inflammatio-  
nis, color cutis naturalis, sed du-  
rus tumor subito reddebat mol-  
lis, ut materiae fluctuatio percipe-  
retur. Manebat status, per biduum sibi relictus, cum infans applican-  
da reiecerit. Quo tempore præ-  
terlapsò sua sponte pus per integu-

menta exitum sibi paravit. Sub initio pus ex parte bonae notae esse videbatur, sed successu tempori-  
ris convertebatur in serum lym-  
phale. Margines fiebant duri,  
rubri, dolentes. Ex fundo ulceris  
prodibat caro fungosa. Adhibitis  
externis congruis remedii, fundus  
purius reddebat; sed extillans  
perpetuo lympha chronicam red-  
debat curationem, non nisi satur-  
nitis obtinendam. Sic iuncta simul  
therapia interna spatio unius anni  
perfecte sanatus fuit.

~~24~~

demum febris anomala, diuersum schema acuti morbi ludens<sup>1)</sup>, regulariter tamen, lenta, cachectica, tabifica, ascites, mors.

§. XVII.

*Curationem scrofularum aggressuro tres potissimum attendendae *indications*; quarum prior caussarum, quae malum fouent et excitant, remotionem, altera lymphae spissioris, tumoribus inherentis, resolutionem ac evacuationem, et tertia partium debilitatarum roborationem respicit. Probe igitur dispiciendum est, quibusnam *causas remotioribus* debeatur hic affectus. Quodsi ergo prauus in cibo et potu victus lympham reddiderit viscidam, ipsique acrimonia acida inhaereat; regimen mutandum et salubrior et potus et victus ratio eligenda. Si aëris, locique qualisque conditio scrofularum concausa fuerit; ad illam respiendum simul. Suppressae excretiones naturales per consuetas vias promouendae, et sanguineae suppressiae, appropriatis remedii periodice reuocandae. Imminens et praesens plethora venae sectione aliisque praesidiis immunienda est. Scrofulae a retroupsis acribus prouenientes, congruis auxiliis, in- et externis tractandae, et impuritates, videlicet capitis, debito modo curandae, et pro circumstan-*

tiarum

1) VOGELIVS pag. 626. Febricem, aut catarrhalis, aut inbris quoque accedit per intervalla, aut flammatoria, aut lenta.


 tiarum ratione ad priora loca inuitandae. Acrimoniae, quae corpori inhaeret, ratio habenda, et remedia adpropriata in vüm trahenda. Hinc si acrimonia venerea concurrat, specifico noto corrigenda. In acri scorbutico, antiscorbutica, inque acida acrimonia, absorbentia, iunctis diluentibus et inuoluentibus, opponenda. Patet ergo, non uno eodem que modo curationem fieri, sed secundum causas institui posse. Quum vero plerique Medicorum hoc negligent, et de fontibus, ex quibus malum emergit, parum solliciti plerumque antiscrofulosis, vulgo sic dictis, remediis, vtantur; v. g. scrofularia, strumosa ista radice, aliisque huius commatis ob debiliorem eorum vim in scrofulis resoluendis et abigendis, parum proficere poterunt. Aquae marinae decantatae usus specificum effectum non praestare videtur. Cortex potissimum roborat. Cicutae, tanquam lentum venenum, incipientes resoluit scirrhos. Interea sit, vt sub empirica curatione votis haud respondeat effectus.

§. XVIII.

Ad alteram obtainendam indicationem, resoluendam nempe in glandulis stagnantem, easque obstruentem lympham: egregie faciunt gummi-resinæ, amara saponiformia, alcalina, et salia media teneriora; ex quibus vero eminent terra foliata tartari, aut eius liquor, per deliquium praeparatus, medicamenta saponaceæ naturæ, tartarus tartarisatus, Sal Glauberi etc.; immo cum extractis amaris et anima rhei praeparata



elixiria. Nec laude sua destitutur cicutá, quae a multis  
vt praestantissimum aduersus scrofulas et scirrhos remedium  
commendatur. Eximia quoque resoluentे virtute pollent  
antimonialia, vt tinctura antimonii tartarifata, saponata;  
praesertim sulphur antimonii liquidum, sive antimoniale il-  
lud saponaceum, vel per se datum, vel cum volatili iunctum.  
Si vires satis constant, magno cum fructu medicamenta mer-  
curialia, et ex illis praeparata adhibentur; preeprimis, si  
miasma venereum in affecto corpore lateat. Mercurii vero  
praeparata varia forma varioque modo adhiberi solent. Sic  
mercurius sublimatus corrosiuus modo fluida, modo pillula-  
rum forma exhiberi solet; ast caute cum illo mercandum.  
In scrofuloſo quodam puero liquorem mercuriale SVI E-  
TENII praescripsi, cuius per aliquod temporis spatium con-  
tinuatus uſus, interpositis decoctis et laxantibus, in scrofu-  
lis proficuus fuit. Interea in eiusmodi casibus mercurius dul-  
cis cum sulphure antimonii aurato, extracto cicutae, puluere  
radicis ari in forma pillularum mixtus, aut cum marте, qui  
mercurium acuit, iunctus, plus praestare videtur; contra  
ea vero, si corpus iam eneuatum aut per se imbecille  
sit, nullumque vestigium latitantis venerei miasmatis in cor-  
pore appareat; tantum abest, vt scrofulae a mercurio sanen-  
tur, vt potius malum adaugeatur. Vidi tales pillulas, in in-  
fante adhibitas, nulla habita cauſae ratione, morbum red-  
didisse deteriorem. Hoc in casu corticem peruuianum cum  
mercu-

mercurio dulci coniunctum suasi, cuius circumspectus usus votis respondit. Aethiops mineralis et antimonialis laude sua non carent<sup>m)</sup> , et cum antimonio crudo insigni cum emolumento commendantur.

### §. XIX.

In corporibus laxioribus, et quae humoribus eorum que acrimonia abundant, *diuretica* ac *diaphoretica* conducunt. Quem in finem millepedes prodesse poterunt. **VALESCUS** commendat *oxym. squilliticum* cum aquis mineralibus. **Aqua marina** resolvente ac abstergente scopo a quibusdam interne et externe laudatur (§. XVII.). Praeterea *vincetoxicici radix* vtilitate quidem non carer; sed dantur praestantiora resoluentia in foro. In siccioribus humectantia, ut balnea tepida saponiformia in usum vocentur, vel temperate frigida *praeseruatiue* commendentur; cum solidorum actionem adiuuent augeantque, hinc fluidis stagnantibus resolutionem et libriorem praestent circulum.

### §. XX.

Resoluentia si suffecerint; vel iungantur ipsis, vel iisdem interponantur roborantia. Ex his varia quidem a medicis laudantur, sed omnibus tamen palmam praeripit cor-

tex

<sup>m)</sup> **Cenf. VOGELIUS** l. c. §. 716. pag. 627.

—

tex peruvianus (§. XI.), quo recentiorum plurimi vtuntur, cuiusque efficaciam et prae ceteris praerogativam in multis expertus sum. Quodsi vero non sufficiat; iungi poterunt martialia, videlicet tintura martis cum succo pomorum parata; et extractum martis cum succ. pomor. vel tintura martis tartarifata Ludouici, elixirium vitrioli Mynsichti <sup>a)</sup>). Vbi autem acrimonia acida tam primis, quam secundis viis inheret: ferrum in substantia preferendum. Atque haec corpus roborando efficiunt, ut solidorum actiones in fluida augentur, indeque, iuncto simul placido corporis motu, stagnantium resolutio valdopere adiuvetur. Tenendum vero, roborantia non tantum ad resolutionem usque continuanda, sed etiam iisdem per aliquod tempus insistendum esse; quo corpus infirmum eo firmius reddatur, et contra recidivas muniatur. Nam roborantia, dum primarum viarum tonum ac robur restaurant, efficiunt, ut melioris notae chylus laboretur, et totum corpus inde reficiatur. Etenim chylo bonae indolis ad sanguinem delato, nutritio laesa corrigitur, et solidorum vis aucta debite in fluida agere eorumque resolutionem promouere valet; quo ipso lymphae visciditas, chylus crudus humorumque stagnationes praependiuntur. Si digestio bene perficiatur, acrimonia acida non facile suboritur, quae lympham cogit. Neque suo effectu desti-

<sup>a)</sup> Conf. VOGELIUS l. c.

destituuntur aquae minerales temperatissimae; multum vero vitrioli continentis, haud conuenire videntur. Glandes querinae, parum tostae, a quibusdam in scrofulis praedicantur, effectus autem non respondet verae et fidae experientiae. Praeterea febris complicatae ratio habenda, et convenienti tractetur modo. Necessarium igitur est, ut nitrum in usum trahatur, et cum vel sine antimonio diaphoretico salibusque mediis remixtum adhibeatur. In statu determinato curatio palliativa parum solatii adfert.

### §. XXI.

Quae omnia non excludunt euacuantia congrua per alium, omnibus in subiectis scrofulosis debite adhibenda. Si cuti enim facta resolutione organorum obstructorum, materia, glandulis inhaerens, mobilis reddita, ex sententia Hippocratis eliminari debet; ita sub usu remediorum, antea laudatorum (§. XIX.), laxantia potissimum in usum trahenda sunt. Primo enim primae viae purgandae et a sordibus viscido — biliosis aliisque liberandae; quo eo melius vis remediorum penetrare possit; deinde frequentius intestina balamicis saponiformibus, iunctis lenioribus stimulantibus, sollicitandae, ut humores e glandulis mesentericis ad intestina inuitentur et per alium euacuentur. Quae omnia simul conducunt inertiae bilis corrigendae; quemadmodum id usus rhabarbarinorum, cum salibus saponiformibus di-

E

verfa

—

versa in forma exhibitorum, testatur, et extracta balsamica laxantia, cum mercurio dulci remixta, nos conuincunt. Omnis enim cura veri nominis medici eo redire debet, ut sub euacuatione hac, potissimum in sanandis scrofulis respicienda, semper tonus ventriculi et intestinorum conservetur; cum frequentiori euacuantium balsamicorum opus sit repetitione. Si aquosa rhabarbarina cum liquore Terraæ foliatae Tartari, per deliquum praeparato, in tenerioribus huic intentioni sufficerint: per tempus continuanda sunt. Si vero haud sufficientem praestent effectum: tunc recurrendum ad fortiora paululum, interdum tantum interponenda; quorum praecipua ingredientia, ex Ialappa praeparata, cum mercurio dulci, extractis variis inuoluta, constare debent. Tempus modumque cum adaequata ingredientium dosi pro individuali ratione illis viendi, determinant circumstantiae, iudiciumque medici requiritur discretuum.


### §. XXII.

Sed ut et *therapia extera* simul accedat, necesse est; quamvis *interna* fundamentum curationis praebeat. Ad resoluendas scrofulas *externe* oleum petrae, philosophorum et saponis commendatur. Sed caue simul, ne ab his partes inflamentur. Dantur etiam emplastra, quae gummarum continent, quibus vis resolutoria inest. Horum in censum

refer-

referri solent: emplastrum diachylum cum gummatis, saponatum Barbette, de ranis cum mercurio, iunctis ipsi de melilotto, de cicuta, de galbano, de ammoniaca *Foresti*; resoluens *Schmuckeri*, aliaque. Sola emollientia, spirituosa et camphorata nocent. Praeterea *motus corporis*, maxime vectio in rheda, vel placidus ambulatorius sanationem adiuuat, et *semicupia* ex emollientibus, saponaceis, cum aromaticis in aqua coctis, prosum (§. XIX.). Taediosissima ulcerum eiusmodi sanatio communem scrofularum therapiam requirit, cuius in specie meminit *CALLISENIUS*<sup>o</sup>). Pau-  
cis repetam *diaetetica*. Vitentur loca frigido — humida, et aër feligatur purus atque serenus. Intuitu victus omnia cruda, glutinosa, et dyspepta vitentur; contra ea vero cibus eligatur eupeptus, leni aromate conditus. Conducunt praeterea potulenta sufficientia tenuia, probe fermentata, vinum temperatissimum eiusque prouidus usus et cum aqua miscela. Aquis puris diaeretice substitui poterunt *Selteranae* et *Wildungenes*. Si quis ferre possit scopo diluente et resolvente, decocta, vel infusa theiformia: sint temperatissima. Somnus ne nimius sit (§. XV.), corpus tamen sufficienter reficiens, et sic cum commendata animi quiete, chronica cum expectatione instituatur affectus scrofulosi, tanquam morbi longi, sanatio.

<sup>o</sup>) l. c. §. DCLXXII. pag. 419.



Halle, Diss.) 1782/85

ULB Halle  
002 169 606

3



sb





DE 17. 1784 / 1  
COGNOSCENDIS ET SANANDIS  
SCROFVLIS

CONSENSV  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
LEGITIME OBTINENDO

PRAESIDE

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO

FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ETC.

DIE II. AVGUSTI C I C C L X X X I V.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR RESPONSVRS  
JOANNES AVGVSTVS POSSE  
SONDERSHVSANVS,

HALAE MAGDEBURGICAE

LITTERIS FRIDER. AVG. GRVNERT.

